



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

Thomas <von Kempen>

Dvaci, 1625

De conuersione eius per prædicationem magistri Gerardi. VI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

CAPVT VI.

De conuersione eius per predicationem magistri Gerardi.

Nec distulit pietas Saluatoris nostri succurrere ouiculae erranti, quae inter nebulas gloriae secularis versabatur, non sine periculo grandi. Cum igitur tempus miserendi eius aduenisset, pius pastor animarum, ouem suam pretio sanguinis sui carere redemptam, de medio laqueorum eam è subtraxit; & ad sanctae congregationis caulam, quam rectorus erat, clementer induxit. Praedicante namque venerabili magistro Gerardo Magno euangelium Christi per dioecesim Traiectensem, multi clerici & laici audito verbo Dei, reliquerunt vanitates seculi, cupientes euadere poenas ignis aeterni, & regna caelestia per poenitentiam & loctum adipisci. Viua etenim vox magistri praedicantis, tanto fortius ualuit in cordibus audientium, quanto perfectius caeteros praebat in via uirtutum; ut fidem sermonibus eius daret sancta conuersatio in operatione ostensa.

2. Cum igitur Dauentriae apud sanctam Mariam frequenter praedicaret, affuit etiam magister Florentius diligenter auscultas, quid diceret, & lumine caelestis sermonis sapienter foris instructus, mox interius irradiatus est; & corde compunctus. Solebat enim praedicator egregius interdum oculos suos dirigere ad adstantes, & pro audientium qualitate ac utilitate, sermonem suum formare in altum uel longum per feruoris excessum; quemadmodum cupidi piscatores ibi latius sua retia laxant, quod plures pisces confluisse opinantur. Diuina itaque inspiratione actum est, ut magister Florentius aetate iuuenili decorus, & sufficienter prebendatus, uocem Domini libenter audiret, & sonitum caelestis fistulae non surda aure pertransiret; sed ad se utiliter traxit, quod ad omnes generaliter per os magni praedicatoris emanauit. Erat enim de ouibus illis, de quibus Saluator noster praedixit: *Oues mea uocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me.* Ioan. 10.

CAPVT VII.

Qualiter seculari uita despecta, magistro Gerardo adhaesit.

Igitur spiritu Dei afflatus magister Florentius, ac rore caelesti intime perfusus, repente pedem uanitatis retraxit, quem in huius seculi itinere figere coeperat. Perpenditque prudenter, quid sequeretur post fugitiua gaudia carnis, quia profecto mors saeva & luctus aeternus. Ideoque ne florigeram Angelorum patriam amitteret, falsos mundi honores spernere decreuit,